92. 1480 4 gennaio milano

BONA et Joannes Galeazmaria Sfortia Vicecomites Duces Mediolani etc. Papie Anglerieque Comites: ac Genue: et Cremone domini: Talia fidei: et devotionis erga Ill.mos predecessores nostros: Nosque et
statum nostrum continuato tempore experimenta prebuit domus de Cambiago ex primatibus civitatis nostre Cremone, ut nullum sit tam arduum: et difficile onus, quod sine merito
in quoscunque ex ipsa domo non optime collocatum iri possit: et adeo recte, prudenter: et fideliter non gubernetur: In presentia enim in civitate ipsa nostra, multi sunt
de ipsa familia de Cambiago: qui et virtutum, morumque prestantia ac rerum usu, a predecessorum suorum vestigijs nunquam degenerare videntur: Extatque preceteris
vir Nobilis Joannes Antonius Cambiagus, quem, ut est ingenio: virtute, integritate: et prudentia consumatissimus, ita summopere diligimus: et carissimum habemus;
et ut aliquod erga eum amoris nostri argumentum, sic ipsius et domus sue erga nos fide et devotione promerentibus, ostendamus: Eundem officio commissariatus allogiatorum
sive taxarum equorum Agri nostri Cremonensis preferendum duximus: Et ita tenore presentium ex certa scientia: motu proprio et de nostre potestatis plenitudine, ipsum Joannem Antonium
in commissarium sive officialem nostrum super allogiamentis sive taxis equorum Agri predicti Cremonen. eligimus et deputamus, per annos duos inchoandos in Kalen. Januarij proxime anni 1480.
et ultra ad nostri beneplacitum, loco et scontro Joannis Andree de Landriano quem abinde ex certa nostri scientia revocamus, Cum arbitrio: et potestate quecunque peragendi que ad ipsum officium
pertinebunt: ac cum auctoritate faciendi quelibet precepta penalia: mulctandi: et condemnandi quoscunque sibi: et familie sue retrogrados, renitentes: et inobedientes, in illis pecuniarum quantitatibus
camere nostre applican: prout hactenus ipse Joannes Andreas exercuit: et facere consuevit, ac demum cum ipsis salario, emolumentis, prerogativis, utilitatibus: honoribus: et omnibus nominato
officio spectantibus, et pertinentibus, ac per ipsum Jo. Andream: et alios precessores suos licite habitis et perceptis. Mandantes quibuscunque commissarijs, potestati: et officialibus civitatis nostre
Cremone: ceterisque officialibus et subditis nostris tam mediate quam immediate nobis suppositis: nec non omnibus, et singulis feudatarijs: nobilibus, communibus, consulibus et hominibus terrarum
villarum: et locorum omnium agri predicti Cremon: et Gentibus nostris Armigeris: Ut nominatum Joannem Antonium: in et ad possessionem predicti officij ponant: et inducant: positumque
manuteneant: tueantur: et defendant: Dictique feudatarij: nobiles: communia, et homines, nec non gentes Armigere allogiate, sive allogiande in ipsa ditione, eidem commissario nostro
ad ipsum exercendum officium, quibuscunque favoribus auxilijs et suvaminibus opportunis assistant: pareant pariter et obediant in concernentibus dictum officium, ceu nobis ipsis,
sub indignationis nostre pena: Ac de predictis salario, et emolumentis respondeant: et faciant cum integritate debitis temporibus ulla absque retentione responderi: Iniungentes
denique eidem officiali: et commissario nostro: quod de allogiamentis: et denarijs allogiamentorum sive taxarum equorum Agri ipsius agat et disponat: prout sibi per Sp. Gabrielem Tassinum
consiliarium: et commissarium generalem super gentibus nostris Armigeris: et allogiamentis equorum nostrum dilectissimum ordinatum et demandatum fuerit: et non aliter: Nisi per
litteras nostras manu nostra propria subscriptas in contrarium habuerit: In quorum fidem presentes fieri fecimus, et registrari nostrique sigilli impressione muniri. Dat. In castro nostro
porte Jovis Mediolani die iiij Januarij MCCCCLXXX.

Bona duchessa de milan manu propria

Morbio 7 (92)

ALuysinus

1480 4 Januar

Milano

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1806981580-15/fragment/page=2